

sunt semicirculi, continuaveris, in singulis priorum exemplorum reliqua promptissimè sese exhibitura: idq; tantò adhuc expeditius, ubi reliqua, quæ de Triangulorum Sphæricorum cum Rectilineis communibus, proprijsq; affectionibus restant, prioribus accesserint.

CAPUT XVII.

De

AFFECTIONIBUS TRIANGULORUM
Sphæricorum.

Restat, ut videamus, quid Triangula Sphærica cum Planis, de quibus supra egimus, commune; quid peculiare & proprium habeant.

Fateor primum partem eorum, quæ dicenda restant, debuisse superius propositam esse, loco quàm hîc commodiore: nec contradicturus sum ei, qui reliqua etiam ante recensio- nem specierum Triangulorum Sphæricorum posita velit. Verùm, & mihi meæ causæ sunt, ob quas utrumq; huc usq; distuli, ne me quis *à me Jodias* accuset. Quòd enim utriq; Triangulo communia, non in genere primis capitibus tractarim, feci ob Ingeniorum summam discrepantiam, quorum plæraq; à Sphæricis Triangulis æquè atq; ab ipsâ Astronomiâ abhorrere solent: quam ob causam facile fieri potuisset, ut unus & alter, ob crebram Triangulorum Sphæricorum mentionem, cum Sphæricis Planorum vel Rectilineorum etiam doctrinam abjecisset. Quare, quemadmodum ipsa Trigometria Sphæricorum (præsertim si Logarithmi adhibeantur) diversissimum quid est à Trigometriâ Planorum, non puto me adeo enormiter percasse, quod utriusvis etiam principia se segregatim proposuerim.

P 3

Ut er-